

Peter Hinckelmann    Kaspar Mester

## **De Anabaptismo Disputatio Elenctica Decima Sexta, Complectens Sectae Anabaptisticae Errores refutatos in locis De Iuramento Et Vindicta**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737666587>

Druck    Freier  Zugang



*P. Kinkelmann.  
R.M. theol. 1613.*

Collectio de anabaptismo, P. Hinkelmann, Fräses

- 1) W. Mallerii, De SS. scriptura 1613
- 2) D. Dencanus, De Deo Trinitate 1613
- 3) N. Waltherii, De Persona Christi 1613
- 4) M. Strubini, De baptismo 1613
- 5) J. Taimmanni, De coena domini 1613
- 6) A. Friderici, De peccato originali 1613
- 7) P. Blankenhagen, De ecclesia 1613
- 8) F. Mulleri, De ministris ecclesie 1613
- 9) F. Sperberii, De ministerio ecclesiastico 1613
- 10) E. Lolepiti, De justificatione 1613
- 11) V. Garmannii, De bonis operibus 1613
- 12) F. von Bülowen, De libertate christiana 1613
- 13) P. Schauringii, De magistratu politico 1613
- 14) F. von Dike, De iudicio 1613
- 15) P. Michael, De conjugio 1613
- 16) D. Westrii, De fine aucto 1613
- 17) G. Machau, De mercatura 1613
- 18) B. Smoldini, De resurrectione 1613

DE ANABAPTISMO  
DISPUTATIO ELENCTICA  
DECIMA SEXTA,

*Complectens Sectæ Anabaptistica Errores  
refutatos in locis*

De

IURAMENTO  
ET VINDICTA.

*Quam*

Divinâ S.S. Spiritus assistente gratiâ

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

*Verbi Divini Ministri.*

*Private doctrinæ subijcit*

CASP ARUS MESTERUS Wisto-  
*chiensis. March.*

12. Cal. Aug. Horâ & loco consuetis.



ROSTOCHII

Litteris Reusnerianis, Anno 1613.

DE ANABAPTISMO  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DECIMA SEXTA

ILLUSTRATIONE  
ET VINDICATIONE

A. PETRI HINKELMANNI

ROSTOCKII

Libreria Rostockiana, Anno 1611



16

Σ Τ Ν Θ Ε Ω.

DISPUTATIO ANTICATA BAPTISTICA

XVI.

DE IURAMENTO ET VINDICTA.

CONTINUATIO.

**M**os ac natura est imperitorum, ut nihil, nisi quod ipsi faciant, rectum putent. Quod ipsum, ut à Comico Poëta dictum est verisimè: ita etiam jure meritissimo de adversariis nostris Anabaptistis; quos, ceu αἰνέγοντας, juxta Apostoli præceptum (a), ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς ὑγιαινύσης ἐλέγγειν jam progredimur, dici posse, apud neminem sanæ mentis est in tenebris. Hi enim, ut in præcedentibus fidei articulis & doctrinæ Christianæ capitibus suam istam imperitiam satis superque prodiderunt: ita etiam in his locis, quos à corruptela eorum in præsentia vindicare, nobis est animus, eam magis magisque, aliis sine fronte & ingenio palàm facere non desistunt; dùm doctrinam de juramento, ex pravo verborum Christi (b). Ne juretis omninò intellectu: & de Vindicta, itidem ex sinistro Apostolici dicti (c) Non vindicantes vosmetipsos) acceptu, in Ecclesiis nullatenus ferendam esse ἀπαίδευτος profitentur; frustra sibi, hæc sua, ut & alia ejusdem furfuris deliria, nil, præter verum, rectum & oraculis divinis consonum unice spirare, persuadentes. Nos itaque; has illorum φλυαρίας, quæ disputationem nostram præsentem in duo dispescunt capita, jam cum Deo, cui contrariantur, examinandas, & καθέσθων ἐφιμῶν, refutandas aggrediemur.

a) Tit. 1.9.

b) Matt. 5. 34.

c) Rom. 12. 19.

CAPUT PRIMUM.

De juramento.

A 2

Error.

Anabapt.  
Antwerp.

Error.

Omne iuramentum est prohibitum : quia Christus inquit : omninò non juretis : satis enim est dicere, ita vel non.

REFUTATIO.

Cum in nostris Ecclesiis, iuramenta licita esse, doceatur, in illis nempe casibus, ubi vel res, quas iuramentis asseveramus, de Dei gloria agunt; vel, deferente illa legitimo Magistratu, ipsa veritas, in rebus arduis confirmandis, jurandi necessitatem imponit: (quæ duo aliàs quando periclitantur, nullo modo salva retineri possunt). Anabaptista contra Dei, Magistratus, veritatisq; insensibilissimi obores, nullo modo jurare cuiquam licere ex S.S. Scripturâ probare sat agunt, ex qua unicum illud Christi dictum (Ne juretis omninò) arripiunt, quo suam sententiam vel maxime stabiliri autumant. Nos verò dogma hoc, ut spurium, & Spiritu Catapaptistico dignum, rejicientes, contrarium e vincemus, apertissimeq; demonstrabimus, legitimum iuramentum & esse concessum, & nequaquam verbis Christi prohibitum. Primum itaq; jurare licitum esse, ita probatum damus.

I. Constat, & apud omnes debet esse certum ac indubitatum, justum esse Deum in omnibus viis suis, & sanctum in omnibus operibus suis (a) & diligere justitias, rectitudinemq; videre vultum ejus; & propterea non posse eius etiam mandata esse iniusta, quibus, hominibus, quid fieri, quidvè omitti ab eis velit, pro suâ iustâ potentia, & potenti iustitiâ imperat. Iam verò præcipit, præscribitq; nobis, partim *κατὰ Παλικῶς*, quomodo sit jurandum, idq; eum in V.T. ut, quando per Moysen dicit (b) : Dominum Deum tuum timebis, & ei soli ser vies, ipsi adhæbebis, jurabisq; per nomen eius. Et per Ieremiam : jurent in nomine meo, vivit Dominus. Tum in N.T. in quo Servator noster, legem Dei moralem repetens atq; explicans, inter alia inquit : reddes Domino iuramenta tua. Partim *κατὰ Παλικῶς* quomodo non sit jurandum. Prohibet enim severissime (c) ne nominis alienorum Deorum meminerimus, aut in nomine eorum juremus.

a) Psa. 116. 5  
& 145. 17.  
& 117.

b) Deut. 6.  
13. c. 10. 20  
Exod. 22. 11  
Jer. 12. 16.  
Matt. 5. 33.

c) Exod. 23.  
13.

Quos

Quod interdictum Christus itidem fufus interpretatur, de quo postea. Ex quibus omnibus & consimilibus aliis patet, juramentum non modò rem esse licitam, sed etiam præceptam, ac legitimo & præscripto modo concessam.

2. Præterea, ne res exemplis careat (qua, Tullio etiam teste, maximè nos movere solent, quæq; Lyrà docente (e) magis quàm verba edificant) S. literarum pandectæ ea nobis subministrant, numero sat multa, dignitate sat eximia in utroq; itidem fœdere. In V. exemplum habemus omni exceptione majus, quando 1. Deus ipse jurasse sepius legitur, nempe per semetipsum (f) quando Abrahamo benedictionem spiritualem omnium gentium terræ pollicetur: quem jurasse etiam testatum faciunt Prophetae; Rex David (e) Esaias, Jeremias, Ezechiel, Amos, & alii. 2. Patriarchæ; quos similiter dicta sua juramentis rata fecisse constat. Abrahamus (f) Isaacus Jacobus. 3. Prophetæ: David cum Ionatha, adhibito juramento (vivit Dominus) fœdus pepigit (g). Elias Thesbites impio Regi Israel Achabo prædicit, Deum fame, per triennium & semestre duraturâ, impietatem ipsius puniturum, quam prædictionem jurejurando roboravit. 4. Angeli deniq; assercionem nostram iurejurando tanquam veram suo exemplo comprobant, quemadmodum ex Daniele & Iohanne liquet (h). In N. exempla itidem nò desunt, quæ rem præsentem ut bonam & præceptam, ita licitam atq; imitandam esse luculenter evincunt, qualia sunt. I. Salvatoris nostri, qui passim apud Evangelistas identidem illud (Amen, amen dico vobis) ingeminavit: & quidem apud Matthæum (qui in præsentem nobis erit instar omnium) tricies. Hanc autem juramenti formulam esse, ex Ebr. 6. 14. patere, D. Chemnitius auctor est, & Brentius (i). 2. Lectissimi illius vasis gratiæ divini Pauli, qui in scriptis suis (quæ, ut D. Chrysof. ait, muri adamantini instar, præclare universam muniunt Ecclesiam, nec tantum profunt  $\omega\epsilon\delta\varsigma$   $\alpha\iota\sigma\tau\epsilon\pi\omicron\theta\eta$   $\tau\acute{\omega}\nu$   $\nu\omicron\theta\omega\upsilon$   $\delta\omicron\gamma\mu\acute{\alpha}\tau\omega\upsilon$ , sed etiam  $\omega\epsilon\delta\varsigma$   $\gamma\upsilon\mu\acute{\nu}\omega\upsilon$   $\alpha\iota\sigma\phi\acute{\alpha}\lambda\epsilon\iota\omega\upsilon$ ) de re aliquâ gravi suis auditoribus testificaturus, fecisse id legitur non simpliciter, aut nudis verbis, sed gravibus juramentis & religiosa attestacione nominis divini interposita

Levit. 19. 12  
Ios. 23. 7.

e) In cap. 49  
Esa.

f) Gen. 22.  
16.  
Psal. 105. 9.  
Syr. 44. 22.  
Luc. 1. 73.  
Ebr. 6. 13. 17  
e) Psal. 110.  
4.

Esa. 45. 23.  
Ier. 44. 26.  
Ezech. 35. 11  
Amos. 4. 2.  
f) Gen. 14.  
22. c. 21. 23.  
c. 26. 28. c.  
31. 53.

g) 1. Sam.  
20. 3.  
1. Reg. 17. 1.  
c. 18. 15.  
h) Dan. 12. 7  
Apoc. 10. 5.  
6.

i) Part. 2. L.  
C. fol. 49.  
In cap. 6.  
Lucæ.



k) Rom. 9. 1.  
2. Cor. 1. 25.  
c. 11. 31.  
Phil. 1. 8.  
Rom. 1. 9.

ea, ut cum dicit: (k) Veritatem dico in Christo Iesu: Ego autem testem Deum invoco in animam meam: Deus & pater Domini nostri Iesu Christi scit, quod non mentior; testis mihi Deus est. Et pluribus in locis aliis sapius.

3. Ex his argumentum immotum & invictum colligimus, idq; genti huic fanatica opponimus, hoc modo: Quodcumq; Deus ipsemet in V. T. fecit, nobis faciendum & imitandum praecepit, quodq; sancti Patriarchae & Prophetae iuxta Dei mandatum fecerunt; quod deniq; in N. T. Salvatorem nostrum & Apostolos fecisse, suisq; exemplis comprobasse constat; id circa dubium illicitum esse nequit. At Deum jurasse, nobisq; jurare praecepisse, Patriarchas & Prophetas hoc mandatum observasse, Christum & Apostolos idem suis exemplis approbasse in praecedentibus ἐφ' ὅσον φανερόν ἐστι demonstratum. E. jurare usiq; licebit. Propositionem si inficiari quis illorum attentaret, Deum, praecepta hominibus dando, peccasse, affirmet necessum erit; quod insigni in Dei justiciam blasphemiâ non carebit; aut etiam principia Theologica πάλιν ἁπλοῦς negare cogetur, & sic dignus haud censendus, quâ cum amplius disputetur, iuxta axioma illud πάλιν φανερόν.

4. Huic aliam itidem ex scriptura rationem, à fine & usu juramenti peritam, annectimus, ita concludentes: Cuius finis & usus bonus & cuius effectus bonus, id ipsum quoq; bonum est, teste Philosopho. Finibus enim judicantur & informantur actiones, & finis quasi esse largiri videtur iisdem: si finis bonus, actio bona, sin malus mala. Et si bona, consequenter eadem etiam uti licet. At juramenti finis, usus & effectus boni sunt, docente scriptore Epistolae ad Hebraeos (l), Valet enim ad confirmationem, & omnes controversias componit. Ex quo ultrò consequitur, iusjurandum rem esse & bonam & licitam.

5. Tandem, si fortè argumenta nostra, quae ex V. T. dictis formavimus, adversarii instantiâ quadam explodere anniterentur, dicendo, legem de licibus, iuramento finiendis, esse forensem (m) & ob id non esse perpetuam sed temporariam, neq; nos obligare, ac propterea nos ex ea argumentari pro causâ nostrâ minimè posse: Ille & hoc

l) Ebr. 6. 16.

m) Exod. 22  
11.  
Deut. 6. 13.  
c. 10. 20.

κρησ

καὶ οὕτως ἰσφίς pracludamus, dicimus, & contra hanc ἔγχεσιν ex cer-  
ta aliqua Theologorum nota ac regula, ex qua inter alias, de legum  
perpetuitate vel abrogatione iudicium fieri solet, ita ratiocinamur:  
Si lex aliqua forensis in N. T. est repetita, sive ἀνωλεξί vel expli-  
cite; sive ἡ δεικτικῶν, vel implicite, inde universalem & perpetuam e-  
am esse rectè concluditur. Atqui hanc legem, de litibus, juramento  
dirimendis, repetitam legimus in N. T. & confirmatam Apostolorum  
jurantium exemplo, ut est ostensum. E. est perpetua & uni-  
versalis, E. & nos obligat, E. rectè ex ea argumentamur.

6. Quibus in τῆς περὶ τῶν ἀποστόλων Patres συγκατατίθεντες:  
Augustinum, qui inquit: (n) Pluribus locis iurasse reperitur Chris-  
tus, ne quisquam putaret, etiam verum jurando peccari. Et alibi:  
Iusurandum est promissi confirmatio. Et: non malum facis, qui bene  
uteris iuratione. Gregor. Iuramentum est oratio confirmans per se  
veritatem.

7. Deinde, ut ad alterum refutationis nostrae membrum de-  
scendamus, dicimus, legitime praestitum iuramentum dicto Christi  
non esse prohibitum, ut Anabaptista hoc fundamenti & rationis lo-  
co pro erroneae suae assertionis veritate adducit: idq̄ demonstramus.

8. I. A Scopo, qui in cap. 5. Matth. unice intenditur. Chri-  
stus enim post aliquot promissiones honorum operum, quae Deo placere,  
ac praesentibus & aeternis premiis compensari affirmat, postq̄  
doctrinam de ministrorum verbi divini officio, ad legis divinae sive  
Decalogi enarrationem eiusdemq̄ veram & genuinam interpreta-  
tionem accessum facit; cui, quod alias etiam in omnibus artibus hu-  
manioribus observari constat, principium aliquod Theologicum praemi-  
mittit, dicens: non veni solvere legem, sed implere. Quod si verum  
est, uti est verissimum quod à veritate ipsa est pronunciatum,  
sequetur consequentia infallibili; Christum in legis doctrina nihil  
quicquam mutasse, sed illam magis magisque explicasse. Et si hoc, utiq̄  
iuramentum omne prohibere neuiquam potuit, cum & illud, legiti-  
mo modo factum, particula sit legis divinae moralis, quae aeterna est  
& immota.

n) Lib. 19.  
contr. Faust  
c. 23.  
Lib. 16. de  
Civ. D. c. 32.  
Lib. 1. de  
serm. Dn. in  
monte c. 30

9. II. Ab

o) Matt. 23.  
18-19.

9. II. Ab occasione, quâ Christus ad præcepti hujus enodationem pervenit. Forabant enim Pharisei falsam hanc opinionem; *le vs*, imò nihil esse, si quis per templum, aut per aram, aut alia etiam in familiari sermone juraret, ut alibi de illis (o) Christus hoc ipsum testatur. Hoc autem, uti erat contra Deum ejusq; mandatum; ita etiam Salvator noster id ipsum refutans tanquam optimus Decalogi interpretes exponit, quomodo illud, quod in lege morali erat præceptum, acceptandum sit atq; intelligendum; nempe quod nemo ex temeraria quadam levitate dictis suis, nulla cogente necessitate, juramentum adjicere debeat. Explicatio ergo rei non tollit aut mutat rem in suâ essentia, sed eam reddidit illustriorem.

p) De Verb.  
Apost. serm  
28.  
Epist. 154.  
Super hunc  
loc.

10. III. Idem nobiscum de hoc dicto Christi sentiunt orthodoxè docentes Patres: Augustinus (p) Christus & Iacobus prohibuit iuramentum, non ut illud prorsus è rebus humanis tollerent, sed quod caveremus à perjurio, non faciliè iurando. Idem: Hoc quidem (non jurate omnino) mihi propterea dictum videtur, non, quia verum iurare peccatum est, sed quia perjurare immane peccatum est. Hieronymus: Salvator, non per Deum jurare prohibuit, sed per cælum & terram. Et audiant Anabaptistæ, velint, nolint, scholion, quod huic Christi dicto adjicit Moses & Elias noster Germanus, verè & sincere germanus, Lutherus, dicens: Omnia iuramenta, quæ homo suâ sponte facit, prohibita sunt, sed si charitas, mandatum, necessitas, utilitas proximi, aut gloria Dei id exigat, rectè & benè iuratur, sicut & iracundia prohibita est, & tamen laudanda, cum ex caritate, & propter gloriam Dei exigatur.

11. Nec patrociniis quicquam ex verbis sequentibus (sermo vester sit: Est, est, non, non) causæ adversariorum accedit, quin eadem potius nostram, quam dedimus, explicationem corroborant. Hoc n. tantum volunt, ut alicui quærenti, quod verum sit, simpliciter respondeamus, & affirmemus: quærenti autem, quod falsum, simpliciter negemus: & hoc quidem in sermone nostro quotidiano & communi loquendi modo observemus: secus autem est in quodam casu ubi veritas requiritur à superiori per iuramentum.

Caput

CAPUT SECUNDUM.  
De Vindicta.  
Error.

Etsi causam habemus, tamen per Magistratus non debemus vindictam expetere, quod scriptum sit: non vindicantes vosmetipsos.

REFUTATIO.

Adeo infensa est factio Catapapistica Magistratui politico, ut non tantum illum in Christianismo non tolerandum statuat (quem admodum ex disputat. 13. clarum est) sed etiam, ut, si tandem illum concedendum esse, invidis argumentis evinceretur; causas tamen ab eo decidendas aut vindictam (ut turba hac loquitur) per eum expetendam esse, aperte sine mente neget, minus recte intelligens Pauli dictum, quod pro fulcro sui erroris ponit: non vindicantes vosmetipsos (a). Ut autem hoc adversariorum erroneum dogma ex fundamentis eo melius refutari queat, antequam ad dictum Apostoli perveniamus, ex sacro codice duplicem vindictam demonstrabimus, alteram licitam & mandatam, quam publicam appellamus; alteram illicitam & prohibitam, quam privatam dicimus: Cuius distinctionis ignorantia hunc errorem peperit. Primum ergo de vindicta publica, quae per Magistratum legitimo modo exercetur, dicendum venit, quam licitam & praeceptam esse, sequentibus argumentis docemus.

I. Omnis Dei ordinatio bona est & licita. At, quod Magistratus publicam vindictam exercet, Dei ordinatio est: Bona igitur, & licita. Propositio extra dubium est. Omnia enim Dei opera sunt veritas, Prophetam testem (b) siquidem procedunt secundum regulam suae sapientiae, quae errare nequit. Assumptionem nobis Spiritus S. ipse per Apostolum Paulum suggerit, dicentem: Potestas seu Magistratus, Dei minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim frustra gladium portat, Dei minister est, vindex in iram, ei qui male agit. Et per Petrum, suos auditores ita adhortantem: subditi estote cuiusvis humane ordinationi propter Dominum, sive regi,

Colloq.  
Frank.

a) Rom. 12.  
19.

b) Dan. 4.  
34.  
Rom. 13. 4.  
1. Pet. 2. 13.  
14.

B

regi,

c) Pſal. 82. 6.  
2. Par. 19. 6.  
Dan. 2. 21.  
Prov. 8. 15.  
16.

regi, tanquam præcellenti, ſivè ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò honorum. Ubi urgemus maximè illud propter Dominum. Si enim propter eum requiritur ſubjectio, utiq; Magiſtratus erit Dei ordinatio, qui principes tanquam Deos in hoc ſaſtigium & ſuper eminentiam ex alio hominum genere extulit (c). Et per Iſaphat, regem Iudæ, iudices ſuos ſic compellantem: Videce, quid faciatur, non enim hominis eſt exercere iudicium, ſed Domini. Et per Danielem: Ipſe Dominus removet reges & conſtituit reges. Et deniq; Filius Dei de ſeiſo inquit: per me reges regnant & legum conditores juſta decernunt, per me principes imperant.

d) Deut. 21.  
21.  
Exod. 22. 18

2. Nec invalidum argumentum ab ipſo, de vindictâ publica exercenda, Dei mandato ducimus, quando, ut malum de medio populi auferant, nec maleficos vivere patientur (d) ſe verè iubet ſuperiores. Quod mandatum, uti ab eo, qui ipſa bonitas, ipſa iuſtitia eſt, datum eſt: ira malum, ira injuſtum eſſe nullo modo poteſt, & ex hoc quod volumus, Vindictam nimirum publicam magiſtratum exercere poſſe ac debere, ſequitur.

e) 1. Sam. 15.  
23.  
Ioſ. 22. 20.  
Num. 25. 11.

3. Addimus, quæ dictis argumentis vires non leves addunt; Cum pœnas, quas manſiſſe legimus illos, qui mandatum hoc, tanquã opus Domini fraudulenter, aut ſomnolenter, aut omninò non executi fuère; ut de Saule legimus, qui, quod vindictam in Agag, regem Amalec, exercere noluerit, propterea à regno ſuo privatus eſt. Et alibi exempla recensentur, quod vindicta negligentia in totius Reipub. pœnam ac perniciem ceſſerit: (e) tùm laudem, quam ſecutam eſſe conſtat præceptum hoc obſervantes. Laudatur enim Phinees, par fornicantium iuſto zelo interficiens. Quod utrumq; (pœna nimirum & laus) à Deo proſectum eſſe, littera docet: Illas enim Deus inſlixit, quod vindicta publica neglecta, hanc verà tribuit, quod ea ipſa adhibita fuerit. Iam v. laudem nemo meretur, niſi qui bene egit, nec pœna inſtigitur, niſi legum mandatorumq; transgreſſoribus. Ergò, qui fecit quod erat præceptum à Domino, bene fecit, atq; ideò etiam bene feciſſe, dicendus eſt is, qui vindictam eo, quo dictum eſt, modo exercet.

4. Sin

4. Sin verò hæc ipsa intermitteretur, infinita inde incommo-  
da & damna oriri necessum esset: Ut, quod communis everteretur  
tranquillitas, summa foret rerum omnium confusio, scelerum quo-  
rum vis flagitiorumq; largissima ubiq; seges daretur, imò, ut verbo di-  
eamus, sublata à Magistratu publicâ vindictâ, tolleretur; quicquid  
in mundo est, tolleretur ipse mundus. Si ergò Anabaptista mun-  
dum amplius esse, atq; in eo diutius vivere ipsimet velint, admittant  
necesse est Magistratus, permittantq;, quod eorum ab alterâ parte  
proprium est, ut vindicent sceleratos.

5. Sed &, ne de novitate doctrinæ hujus querantur Adver-  
sarii, ad stipulatorum nostræ sententiæ patrum testimonia adjicimus.

Augustini (f). Qui sine aliqua publicâ administratione, maleficum interfecerit,  
sicut homicida judicabitur, & rando amplius, quando magis sibi potestatem à Deo  
non concessam usurpare non timuit. Hugonis: Iuste puniuntur, qui licitis abu-  
tuntur: Iustus verò puniuntur, qui aliena rapere conantur: Sic Satanas cælum,  
sicut Protoplastus perdidit paradisum. Gregorii: Sit erga subditos sollicitudo lauda-  
bilis: exhibeatur cum mansuetudine disciplina, sit cum discretione correctio: iram  
benignitas mitiget: benignitatem zelus exacuet: & ita alterum conducitur ex  
altero, ut nec immoderata ultio, plusquam oportet, affligat: nec iterum frangat  
rectitudinem discipline remissio.

6. Quod deinde alterum huius capituli membrum fecimus, de vindictâ privatâ,  
secuti iidem, infallibilem sacræ scripturæ Cynosuram, de ea aliquid dicemus: eiq;  
illicitam & prohibitam eam dixerimus, illud ipsum ostendimus: I. Ex mandato,  
quod Deum ipsum in V. T. passim Iudæis inculcasse, & ab Apostolis in N. sepius id  
repetitum animadvertimus. Ita enim dicit: (g) Non quaras ultionem, nec memor-  
eris injuriæ civium tuorum. Similiter: Mihi vindictam, & ego retribuam eis in  
tempore. Quod præceptum Apostoli etiam, & alii suis diligenter iisdem verbis in-  
stillarunt. Sic Salomon: Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei. Et Petrus:  
non reddite malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.

7. II. Et hoc Deum severè velle à quoquam privato observari, pena, quas  
contra id delinquentibus & ipse & per alios minatur, satis abundè arguunt, de  
quibus legimus: qui vindicare vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata il-  
lius servans servabit. Sic: qui reddit mala pro bonis, non recedet malum à domo  
eius (h).

8. III. Ad quod Dei Apostolorumq; præscriptum sanctos quoq; se gessisse,  
accepimus; ut de Stephano patet, qui à Iudæis lapidatus, non mala ipsis est repre-

f) Lib. 1. de  
Civ. Dei.  
Lib. 1. de As-  
nima in re.

g) Lev. 19. 18  
Deut. 32. 35.  
Rom. 12. 19.  
Ebr. 10. 30.  
Prov. 24. 29  
c. 20. 22.  
1. Pet. 3. 9.

h) Syr. 28. 1.  
Prov. 17. 13

1) Act. 7. 60.  
Matt. 5. 44.  
Luc. 27. 34.  
1. Pet. 2. 23.  
Num. 14. 10  
19.

catus, sed bonum omnium maximum, delicti nimirum huius gravissimi condonationem (i). Idem de cæteris piis martyribus testatur historia. Et exemplum huius rei tunc imitandum, ipse mundi salvator nobis reliquit, qui, quod in vite sue curriculo nos verbis docuerat, nempe de vindictæ private cupiditate fugiendâ, deq; inimicis nostris diligendis, hoc in eiusdem extremo termino, ipso facto cõprobat, quando pro Iudeis, crucifigentibus ipsum, patri suo supplex factus est, dicens: Pater, dimitte illis, nesciunt enim, quid faciunt. Quod & Petrus de eo testatur, inquit: Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti iustè. Ita Moses pro Israëlitis, volentibus ipsum lapidibus opprimere, oravit.


k) In serm.  
de assumpt.  
Mariæ.  
homil. 45.  
super Matt

9. Deniq; , ut hanc de duplici vindictâ doctrinam concludamus, labet subjicere Patrum de hac ipsâ matura judicis. Bernhards: (k) O quàm leni & dulcissimo Spiritu imbutus est animus illius, qui novit in Spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam & affectuosè visceribus in viscera sibi peccatorem. Et Chrysostomi, qui de utraq; mentem suam explicat, in hæc verba erumpens: Benigni & iusti iudicis est, suas iniurias contemnere & aliorum iniurias vindicare. Qui autem suas vindicat, quamvis iustè vindicet, nunquam tamen iudex iustus esse putatur. Ex his & consimilibus, luce, quæ in meridie splendet, clarius esse potest, quid iudicii de præsentè Anabaptistarum errore sit ferendum, quidq; refutationis loco ipsis reponendum.


l) Rom. 12.  
19.

10. Ad verba verò Pauli (l) quæ pro suo delirio palliando ab adversariis afferuntur, respondemus, ea de vindictâ privatâ esse accipiendâ; quod palam est: I. ex SCOPO, quem Apostolus spectat, qui ex præcedentibus petendus est. Postquam enim à principio capitis de communibus Christianorum officiis. 1. Erga Deum. 2. Erga seipsos. 3. Erga amicos, differuisset; tandem 4. quibus officiis hostes & inimici tractandi sint, instruit: ne nimirum malum pro malo pii credentes reddant, non semetipsos vindicent, sed potius in bono malum vincant, eoque hoc recedant. A privatâ itaq; vindictâ dehortatur, ne semetipsos Christiani ulciscantur. II. Quod etiam inde liquet, quod Apostolo non de publicis sed privatis personis d. l. sit sermo. III. Si verò ex Anabaptistarum mente verba Paulina essent interpretanda, Apostolus sui ipsius oblitus, in sequenti capite (m) sibi metipsi contrarius esset, ubi de Magistratibus, eorumq; officio concionatur, quos Dei ministros esse dicit, vindices in iram male agentibus. Genuina ergo est, quam attulimus, & scripturæ sacre conveniens huius loci expositio de vindictâ privata: quæ verò ipsi aliam, quam Paulus vult, affingere pertinaciter elaborat, eè cum Paulo anathema dicimus. Tantum de IVra Mento & VINDICTA.

m) Rom. 13  
4.  
Gal. 1. 9.







presenti hoc errore pronunciet, qui & olim sua  
auctores partim propagatores in Ecclesia  
Originem Alexandrina Ecclesia antisitem  
Palestinâs; nunc iterum resuscitatur à nonni  
rum in proscenium educitur, palliatur, com  
impj hujus dogmatis absurditas eò magis innot  
literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scriptura dicta ea, quae  
diabolorum & hominum damnatorum aeterna  
desituras esse perspicue confirmant (a): quae ve  
morientem asserunt: Iram Dei mansuram sup  
esse ignem inexstingvibilem, interitum aeterna  
ternum, iudicium sine misericordia, pronunciat  
extremo die abiecturum maledictos in supplic  
Quod si itaq; homines damnati usq; in aeterna  
lumen & Diaboli in secula seculorum crucia  
tandem erunt salvandi, aut quis finis penis ipj  
Nôq; est, ut quis cavilletur, vocabulum aeterna  
lutam sine fine perpetuitatem, sed periodicam  
temporis limitatam diuturnitatem denotare. I  
quaestioni accommodari non potest: siquidem  
quam convincitur, quod poena damnatorum  
ra sint, sed potius constat, nullam mutatione  
summi iudicis, quo ad statum rerum, futuram  
aeternum, simpliciter in propria significatione  
quid assumitur, pro figmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum h  
tant. 1. Quia damnatorum peccata mortali  
temporalia violant & contempnunt aeternum  
videlicet Deum, & aeternam vitam; iustissime  
aeternis poenis puniuntur. Cum enim duplex sit  
cundum intentionem acerbatis, & secundum



2) Esa. 66. 24  
Ioh. 3. 36.  
Matt. 3. 12.  
2. Thef. 1. 9.  
Hebræ. 6. 2.  
Iacob. 2. 23.  
Matt. 25. 41.  
Pfal. 49.  
Apoc. 20. 10.